



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Fortunæ rota & rerum humanarum instabilitas, quàm vtibilis sit, vt
sapere discamus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

netrare, rerumque caducarum fragilitatem, agnoscere, indeque & modestiam, & patientiam, & fortitudinem, aliâque præclara opera exercere didicissent; cristasque demississent, quas, in sublimi fortuna, nimium quantum erexerunt. Sive alios observare volueris, ait Seneca, (*liberius enim inter aliena, iudicium est*) sive te ipsum, favore seposito; & senties hoc, & consueberis, n.l., ex his optabilibus & charis, utile esse; nisi te contra leuitatem casus, rerumque casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela, inter singula damna, dixeris: **DIIS ALITER VISVM EST.** Visum est enim, non oportere esse, in hac vita, felicitatis stabilitatem.

Senec. l. 1.
epist. 98.

II.

Nam, ut taceam, sicut, in pictura, differentia colorum; in Musica vocum varietas; in theatro, personarum multitudo gratiam habet; ita & in hoc Vniuerso venustam esse rerum mutabilitatem; vtilitas præterea maxima *Casibus* inest. Fastidiretur Mundus, si omnia vnus campus essent. Sunt igitur montes, in quos ascendamus; sunt valles, in quas gradum reuocemus: neq; in plano aliquis tam suauiter quiesceret, si in alto non adeò fatigaretur. Sic euenit in hominû vita; ibi ipsi morbi cõmendant sanitatem; calamitas illustrat felicitatem. Hæc rota est *Fortuna*; hæc scalæ Pittaci; imò & Iacob, Patriarchæ, ni fallor, qui vidit in somnis *scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes, per eam, & Dominum iunxum scale.* Nempe Domini hoc est opus; sic ad eum ascendendo itur; per prospera, per aduersa; per summa, per ima; & sæpe descendendo ascenditur, sæpe descenditur ascendendo. Multi enim pereunt, promoti ad altas dignitates: multi corriguntur & recti fiunt, dum desinunt esse rectores. Ipse Nabuchodonosor, nisi comparatus iumentis insipientibus, ad pecudes, abiectus fuisset, nunquam sapere didicisset. Hac ipsa de causa Lotharius & Isaacius Imp. Vgo Coenredus, Rachis, Sanctocopius, Petrus Aragonius, aliique complures reges à sceptro & purpura, ad vilem tunicam & solitariam cellam descenderunt, ut ad cœlestem coronam eleuarentur. Nec alia de causa Carolus V. folio relicto, se abdidit, quàm ut, in terris, se humilians, in cœlis exaltaretur. Credo, ipsum orbem terrarum volubili *Fortuna* globo idcirco similem esse, ut intelligamus, nihil in eo constare; nec figi in eo gradum posse. *Quis tam stupidus est, inquit ille, qui instabiles & repentinas fortune commu-*

Gen. 28. 12.

Baron. an.
335. & anno
1059. & 750.
Plat. l. 2. de
bono stat.
Rel. cap. 26.
Beda lib. 5.
hist. cap. 20.
Ælian. l. 4.
Variar. c. 8.

commutationes ignoret? Sanè Lacedæmonij, cum Thebanorum domini essent, adeo rursum ab illis fuerunt subacti, ut Thebani non solum in Peloponnesum peruenirent, verum etiam Eurotam transirent, & Lacedæmoniorum terram deuastarent, & propemodum ciuitatem etiam ipsam cepissent, nisi veritus esset Epaminondas, ne uniuersi Peloponnesij, conspiratione facta, pro Sparta, dimicarent. Sic Dionysius tyrannus, sic Amyntas Macedo, sic Dion Hipparini filius effecit, ut, in quo statu ipse fuisset antea, in eum iam suæ calamitatis auctorem detruderet.

Ibid.

Quid facis, ah demens? cur, si Fortuna recedat,
 Naufragio lacrymas eripis ipse tuo?
 Hec Dea non stabili, quàm sit leuis orbe fatetur,
 Quæ summum dubio sub pede semper habet.
 Quilibet est folio, & quauis incertior aura,
 Par illi leuitas; improbe, facta tua est.
 Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
 Et subito Casu, qua valere, ruunt.
 Diuitis audita est cui non opulentia Croesi?
 Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
 Ille Syracuse modo formidatus in urbe,
 Vix humili duram repulit arte famem.
 Quid fuerat Magno maior? tamen ipse rogauit
 Submissa fugens voce clientis opem.
 Cuiq; viro totius terrarum paruit orbis,
 Indignus effectus omnibus ipse magis.
 Ille Ingurthino clarus Cimbrorum triumpho,
 Quo victrix toties Consule Roma fuit:
 In ceno Marius iacuit, cannag; palustri,
 Pertulit & tanto multa pudenda viro.
 Ludit in humanis diuina potentia rebus,
 Et certam presens vix habet hora fidem.

Quid. l. 4. de
 Pont. eleg. 1.

Hæc felicitatis mutatio superbiam domat, frenatque insolentium immanitatem. Sesostris rex Aegyptiorum victorius illustris, ut Paulus Diaconus refert, currum aureum preciosissimis gemmis ornatum sibi construxit: cui insidens à quatuor regibus deuictis plaustra subeuntibus se trah: passus est. Cum, festo quodam die, regum vnus, oculis conuersis, continuo retrospiceret, rota volubilitatem intuens, Sesostrisq; causam respectus percontaretur, respondisse fertur: Cum stupore admiror Rotam, cum eam instabili modo ferri, atq; aliàs aliter volu, &

III.

P. Dia-
 con. de reb.
 Rom. lib. 17.

Hb 3

nunc